ENCOMION RODOLPHI VVARCOPI ORNATISSIMI, QVEM habuit Anglia, Armigeri, qui communi totius patriæ luctu extinctus est

Die Iovis Kalend. Aug. 1605.

BIBLIOTHECA RODLEIANA

——Neque
Si chartæ sileant, quod bene feceris
Mercedem tuleris. Horat. lib. 4. Od. 8.

OXONIÆ,
Apud Iosephum Barnesium. 1605.

ENCOMION
RODOLPHI VVARCOPI
PI ORNATISSIMI, QVEM

habuit Anglia, Antigeri, qui commu-
ni totius patriæ luctu extinctus est

Die Iobis Kalend. Aug. 1605.

---Neque
Si chartæ sileant, quod bene feceris
Mercedem tuleris. Horat. lib. 4. Od. 8.

OXONIÆ,
Apud Iosephum Barnesium. 1605.

CLARO AC NOBILI VIRO, Regiq; ab intimis Consilijs, GVLIELMO KNOLLYS *Baroni de Grayes, Regiæ familiæ Thesaurario.* S. D.

CVm Encomion hoc auspicarer (Nobilissime domine) mihi in animo fuit non tam tabulis consignare, quam supremis Avunculi mei honoribus sub auspicio vestro quocunq; modo consecrare. Sive enim consuetudinis (quæ illi tecum summa semper intercessit) sive patriæ (cuius dignitati plus parè quam plurimum studuit) ratio habeatur: utroq; nomine munusculum hoc amplitudini vestræ quam dignissimum fore existimavi. Illustrissimum certe Equitem, à quo eruditionis, pietatis, prudentiæ, ad eq; omnium rerum egregiarum exempla sumantur, quotus tandem quisq; est tam aut officij sui, aut meriti alieni oblitus, qui non omni memoriæ mandandum, omni posteritati propagandum, in omni denig; ætate celebrandum judicet? Nec dubito quin hoc tam insigne exemplum tam illustri loco positum, hos saltem qui in excelso vitam agunt, quibus generositatem & nobilitatem profitentur, ad huius talis Armigeri admirationem excitet, imitationem; virtutum. Nam enim res gestæ pares? Quis triumphum

conferendus? Sed tempero mihi à longiore oratione, quoniam argumentum hoc insequenti poemate multo pleniùs persequimur & tractamus. Atq; ita (Nobilissime domine) scriptiuncula huius causam, brevitatis studio, honori vestro innui potius quam significavi. Largiatur Deus pro infinita bonitate ut dominatio vestra quotidiè multis honoribus augeatur.

NObilis ô heros, Angli *pars magna* Senatus,
Cuius vel titulos est numerare labor.
Si vel amicitiæ, patriæ vel nomine charum est,
Quod superest patrui *nomen inane mei:*
Te mea præ reliquis (vt nuda clientula) poscit
Musa, patrocinio nobilitanda tuo.
Si mihi, quicquid alit rutilantibus India ripis
Annuerent facili Numina victa prece:
Extruerem celso tangentia culmine cœlos
Quæ cineri gratus dat monumenta labor.
Quam cuperem pulla nummos absumere veste!
Quam cuperem luctu prodigus esse pio!
Sed quia dura mihi nummos fortuna negavit,
Carmine, fortunæ damna rependo meæ.
Qui virtute tibi, fuerat mihi sanguine iunctus,
Ille tibi legitur, scribitur ille mihi.
Nec tamen esse putes mea tantum carmina, non est
Publica res vni suscipienda viro.
Plena laborato donat schedia smata versu
Turba frequens, mæstis assuefacta modis.

Oxonijè Coll. Novo die 25. Octob.

Honoris vestri observantissimus W. KINGESMILLVS socius Novi Coll.

Ad VVarcoppum defunctum.

MAgne senex (quantum tua sors permittit) adoro,
Vel cineres, rapti pignora sola tui.
Ergo remansuris (torlan per sæcula) chartis
Est animus mores inseruisse tuos.
Quod si Musa tuam posset producere vitam,
Te nunc in tertis vita secunda manet.

In mentem eius varia rerum linguarumq; cognitione nec non consilio & pietate ornatissimam.

Artis opus quantæ pingi cum corpore mentem?
Heu malè diversis dissociata locis!
Corpoream pingat Zeuxes (*VVarcoppe*) figuram,
Fert mea mens mentis pingere dona tuæ.
Illa quidem ingenuas fœliciter imbibit artes,
Vt capit impressas pagina pura notas.
Dividit, atq; vno divisa recolligit ictu,
Clausa aperit, logica claudit aperta manu.
Illa per effectus docilis cognoscere causas,
Per causam effectus mox reditura probat.
Quodq; magis mirum est, corpus sine corpore cernit,
Materiæq, expers materiale capit.
Illa potis tectas Naturæ ostendere formas,
Quæ movet, & motus comprimit ipsa suos.
Illa refert causas plenæ cur cornua lunæ
Orbe relucescant pallidiora novo:
Sidera cur summi labentia cardine cœli
Quæ minor Arctoo dirigit Vrsa polo;
Cum reliquæ Hesperio merguntur in æquore stellæ,
Non occasuro lumine clara micent.
Non prodest patriæ Crassus magis ipse, ferendo
Consilium miseris auxiliare reis.

Cum

Cùm peteret terras quondam peregrina remotas,
Vt posset patria clarior esse sua:
Doctrinas alias, linguasq; fideliter hausit,
Resq; novas verbis imbibit illa novis.
Sed quia cognitio mala fit pietatis inanis,
Mancaq; fit pietas cognitione carens:
Ergo vtramq; simul manibus comprendit vtrisq;,
Despiciens terram, suspiciensq; polum.
Musa pedem hic figas: quid enim pietatis amore
Vlterius scriptis inseruisse potes?
At tu qui tantæ vestigia mentis adoras,
Hoc carmen breviter præcipienti habe.
Aut doctrina pia, aut pietas tibi docta colatur;
Non aliter tanto par potes esse viro.

Ars sine natura claudа est, natura sine arte
Cæca est, perfectam reddit vtramq; labor.
Quæ tria fœlicem reddunt, vbi iuncta cohærent,
Hæc tria *VVarcoppo* iuncta fuere meo.
Artibus ornatus, rebusq; assuetus agendis,
Quodq; trium minimum est, stemmate clarus erat.

Qui iacet in multa nunc pulverulentus arena,
Cautidicus, Rhetor, Pacificusq; fuit.
Constabant magno, quas nunquam vendidit, artes:
Vtilior cuivis, quam sibi vita fuit.

In Procerit atem corporis iam sexagenarij.

O quam corpore stabat elevato
Qui senos decies videbat annos!
Istis non potuit manere terris.
Forma corporis admonebat ipsa,
In cœlos animum levaret altum.

Meng

Mens tibi pulcra fuit *VVarcoppe* in corpore pulcro,
Æquum erat ingenium sic habitare tuum.

In eundem duas legationes paulò ante mortem deprecantem.

Quicunq; famam mente præcipiti petit,
Summumq; credit eminentiam bonum;
VVarcoppe temperantiam videat tuam,
Legationem Gallicam, aut Hispanicam
Obire nolles: gratulor prudentiæ.
Ambiret ille gloriæ rumusculos,
Qui falsa spernens vera vestigat bona?
Accedit ex virtute laus honoribus,
Non ex honore tanta laus virtutibus.

Legatus ventis potuisses vela dedisse,
Si velles famæ vela dedisse tuæ.

In eundem quòd postquam convaluerat honoratam do: Shandoys, *& venerabilem do:* Dunche *invisendo, in ægritudinem denuò relapsus est.*

Viseret infirmas magis ipse infirmus amicas?
Suaserat antiquæ fœdus amicitiæ.
Nulla relabentis tenuere pericula morbi,
Candida quò pietas miserat, ire parat.
Inter iter sævit penetrabilis ætheris ira,
Quæ nimis in vultus influit, inq; sinus.
Inde malum satis ante valens revalescere cœpit,
Vt facilè medicam iam superaret opem.
O quam post nullos fuerat numerandus amicos
Qui sibi sustinuit præposuisse suos!

Magne Deus! quia ferre cupit, caret ipse salute?
Quod non destituit, destituendus erat?

Ad eundem, de febre quâ correptus interijt.

Cum tibi lapsa foret iam sexagessima messis,
Ægroto tremuit corpore laxa cutis.
Nec tua boletos gustat, nec Massica, febris,
Quando famem sentit frigida, sicca sitim.
Vix semel in toto solvit ieiunia mense,
Tunc quoq; sorbilibus pascitur illa cibis.
Tam malè tam miserè febrem *VVarcoppus* alebas,
Et tamen ante obitum noller abire tuum.

In eius generositatem.

Ingenuus ille nobilis,
Qui per rapinas, per dolos,
Occulta per stratagemata,
Adauctus est honoribus?
Ingenuus ille nobilis,
Qui (musca cen famelica)
Cruore vivit pauperum,
Proprioq; nil studio parat?
Ingenuus ille nobilis,
Repentè stemma cui novum,
Subitæq; sunt imagines,
Ciere non audet patrem,
Ciere non potest avum?
Ille ille verus nobilis,
VVarcoppe, quisquis it, tuæ
Quò ducit exempla viæ.
Si stemma quæritur, genus

Equitē vsq; ad auratū refert
Si vita quæritur, patet
Totum per orbis ambitum,
Pietate vincebat Numam,
Sanctaq; Fabricium fide.
Insignis his insignibus,
Tam clara fulgebat domus.

Heu tegitur lutea propè iam contemptus arena,
Qui corpusq; animumq;, interna, externa bonorum
Præq; alijs habuit, quicquid generosus haberet.

In eius constantiam in vtraq; fortuna.

Quis mihi det vitio, si nocte dieq; Thalia
Effundat mæstos immoderata modos?
Quantus eum nostris dolor amisisse diebus,
Cuius mens cunctis apta diebus erat!
Tempore fœlici lætus, sed tempore duro
Magnanimus, sortem rectus vtramq; tulit.
Qui tam compositæ mentis, vultusq; sereni,
Sub pedibus calcat fata superba suis:
Quamvis tota ruat resoluti machina mundi,
Intrepidum quatient pondera rupta caput.

De eius Domo.

Ædes lauta satis, quamvis non splendida gemmis,
Qualis erat Curij, Fabricijq; domus.
Plangite pro foribus famuli, lugete propinqui,
Et pariter sparsas dilaniate comas.
Ipsa domus lugeto, tuæ, quod splenduit intus,
Nil nisi *VVarcoppum* continuere fores.

De eius familitie.

VVarcoppe, mores, nec receſſus intimi,
Nec muri poterant occuluiſſe tuos.
Priuata quæ fuere, quæ domeſtica,
Eruere è tenebris noſtra Thalia parat.
Quæ potuit eſſe per ſalutem publicam,
Maxima priuati cura decoris erat.
Paucos alebas, ſed peritos artium,
Et ſeruos, quales rarus habebat Eques.
Plures alebant plurimi, ſed impios,
Qui lædunt dominos clamq; palamq; ſuos.
Cui nunc tabernas, nunc ſequuntur aleas,
Atq; aliud vitium, quod mea Muſa tacet.

In eundem quod operi ruſticano deditus fuit.

Warcoppe, *cum negotijs*
Solutus eſſes publicis,
Laertij inſtar, arbores
Manuq; vel plantas ſeris,
Vel arua ſpinis liberas.
Sic priſca gens mortalium,
Contenta parua fauore,
Paterna ſcindit iugera.
Arti vacare ruſtica,
Ipſi ſolebant conſules,
Ipſi ſolebant principes.

Et quæ tanta procul fuerat mihi cauſa manendi,
Cum (VVarcoppe) tibi tam prope fata forent?
An mea iura mihi nimis imperioſa fuerunt?
An timui ignotæ tædia longa viæ?

At ſiquis laxas mihi permiſiſſet habenas,
Et mihi dempſiſſet fræna, dediſſet equo:
Si via longa minus, magis et mihi nota fuiſſet,
Manſiſſem luctu tardus inerſq; meo.
Et ſi non alio, manſiſſem hoc nomine ſaltem,
Ne morerer mortem conſpiciendo tuam,
Quam tu ſic animo poteras perferre virili,
Hanc ego mortem oculo cernere non potui.

Cum tua mors mecum de te certaret, avebas.
Nec mihi, nec morti, ſed ſupereſſe Deo.
Non poteras melius pendentem claudere litem,
Oſculo ingenium (chare Rodolphe) tuum.

Æneas habuit ſuum Maronem,
*Æacides calamo viuis (*Homere*) tuo.*
Te Warcoppe *canens, vtriq; cedit*
Carmine, ſed vera vincit vtrumq; fide.
Poetæ, quibus eſt nihil negatum,
Ficta leues cudunt, quæ quaſi facta canunt.
Nobis non licet eſſe tam ſolutis,
Qui colimus nuda ſimplicitate fidem.

Quam (Warcoppe) tibi fuerat laudabilis olim,
Tam laudata mihi ſi tua vita foret;
Tanto ego *Maonidâ*, quanto tu maior *Vlyſſe*,
Sed non eſt vitæ par mea Muſa tuæ.

W. KINGSMILLVS Novi Coll. Soc.

Quem mores fecerè probum, quem ſpiritus ingens
Fortem, quem recti nobilitauit amor;
Quem benè dilectum pietas, induſtria doctum
Et notum populo nobile ſtemma dedit.
Mors male crudelis tenet hunc tot pulchra tenentem,
Debebat talem vita tenere virum.

Inualére vnum cum Dæmone fata *Rodolphum*,
Vnum debellant ille nec illa virum.
Ille fide victus, devicta ſed illa ferendo:
Non mors ſic vitam perdere, vita mori eſt.

De warcoppo, *olim pacis qui cognitus auctor.*
Plus iam notitiæ quiſq;, quod abſit, habet.
Poſſe vident illum quæ proſint tradere, poſſe
Non dubia, dubijs rebus adeſſe, fide.
Poſſe vident illum querulas componere lites
Et bene cõmuni conſuluiſſe bono.
Poſſe malos hominum mores cognoſcere, poſſe
vel bene fucatos explicuiſſe dolos.
Ergo iam tandem, quod non agnouimus antè,
Nouimus hunc Pythium *ciuibus eſſe deum.*

Radolphus meliore ſorte dignus
Liquit has luteas domos, et alta
Petens, ad ſuperas receſſit arces:
Non mirum eſt animus frequens *Rodolphi*
Viuens in ſuperas receſſit arces.

Hic odio ſuus erat nuper tibi mundus, at illi
Tu *VVarcoppe* ſimul non odioſus eras.

Ille, foret diuturna tibi tua vita, precatur
Viuere tu cessas vt diuturna foret.

THO: WATKINS *Nov. Coll. Soc. in Art. Bacc.*

AVdieram: (nec enim moritur tua Posthuma fama)
Belga, Italus, Graecus, Gallus Iberus eras.
Nam modo cura fuit linguâ sapuisse tot oras
Et modò nonnullas cura adijsse fuit.
Lingua venustatem dedit, augustamq; loquelam,
Doctiloquoq; fuit plurima in ore *Charis*.
Sedulitas dedit, externos vt viseret agros.
Redditus est patrijs advena sæpe focis.
Quicquid erat vitæ reliquum, confecit eundo:
Vltima perpetuâ conditur hora viâ.
Restat iter, quo cœlestes contingeret oras.
Functus es hoc? nullum iam tibi restat iter.

RO. ADDAMS *Nov. Coll. Soc. in Art. Bacc.*

VV*Arcoppus* quondam generoso stemmate clarus,
Sed de martyribus clarior ortus avis.
Iunior externos peragravit passibus orbes,
In patria senior posset vt esse sua.
Inde domum redeuns centum vnus calluit artes,
Solvit et in linguas vnica sensa decem.
Mox erat Antistes pacis, Iurisq; sacerdos;
Mox erat in patriæ nomine lectus Eques.

Tum

Tum prope legandus, legator maluit esse;
Quoq; magis litem clauderet, astra petit.
Quàm bene secrevit peragrandi tempora prudens,
Vt iuvenis terras cerneret, astra senex!

Qui mille quondam praestitit virtutibus,
Centum artibus, linguis decem.
Qui iuvenis vrbes vidit, & scripsit senex
Mores peregrinantium.
Qui Iura doctus, pacis Antistes fuit,
Iudex, sequester, arbiter.
Warcoppus *obyt sanctus, oblato pia*
Legationis *munere.*
Qui, si fuisset ante Legatus *semel,*
Ex Iure non posset mori.

Ille nuper vnicus,
VVarcoppus, hominum tot bono creatus.
Ramus ille *Palladis*,
In quo tot artes, tot fuere linguæ.
Ille pacis arbiter,
Legatus idem, fata ni vetarent.
Febre raptus occidit;
Quàm pœne cunctos hæc quatit sub vno!

Quicunq; vitæ suscipiens iter,
Non pœnitendum vult studij ducem;
Ad cuius expressos labores
Ipse aliquid meditetur ingens.
Non ille *Vlyssem* iam nimium senem,
Non ille *Achillem* iam cupiat sequi;
VVarcoppe te primum sequatur,
Ille, tuos videatq; mores.

Tu nempe prudens tu sapiens redis,
Tu multilinguis, doctus & artium.
Te, vt antecessorem ducemq;,
Posteritas veneretur omnis.

Illustrissime, martyrumq; semen,
Quos veram memorant fidem professos,
Omnis cum pietas latebat exul.
Exul tu quoq; sed libenter, vt te
Sanctus Beza *fidem & doceret artes.*
Phœnix Æaciden: *vel vt daretur*
Et mores hominum videre & vrbes,
Vt Chîron Ithacum *suum docebat.*
O quantus fueras, Achillem, Vlyssem,
Heröas *geminos habens sub vno.*

VVarcoppe atavis edite claris,
Prope martyribus, quêis, vt posses
Tu quoq; nasci, flamma pepercit.
Et quid morbi flamma calentis
Non tibi parcit? tu martyr magis.
Vt te subitò torrida febris
Citat ad mortem; sic ad cœlum
Tanquam ignitus conscendis *Eques.*

Ουαρκῶπος ἔην ἀγαθὸς δὲ μὲν, ἠδ' ἀγαθῶν ἐξ,
Ἥρως, ἡρώων καὶ παῖς ἐκγένετο.
Ἡϐώων δ' ἀρὰ πόλλ' ἴδεν ἄστεα, ὥσπερ Ὀδυσσεὺς,
Ὥσπερ Ὀδυσσήων τεκνία ἡμετέρων.
Ἦλθεν δ' ὃν δὲ δόμόν δε, πολύγλωττος, πολυμῦσος,
Ὥς τε πολυπλαγχθεὶς, καὶ πολυμῆτις ἐών.
Δή τοτε εἰν ἕδρῃ ϐυληφόρος, ὣς θεὸς αὐτὸς,
Ἄξιος ἦν ἀρχῶν, ἄξιος ἀγγελιῶν.

Αὖτ' εἰρήναρχος, ᾧ δημῶ νείκεα λύσω,
Αὖτ' ἰατὴρ κοινοῖς ἢ πανηγυρικοῖς.
Πρεσβεύω ἀείνεσιν ἀγήραον εἰς ἀεθλον,
Καὶ πάχε φρασσείω ὃς ἀγέτευσι δάρες.

Πῶς δὴ φδὰ πρῶτ' ἔμπνοις; ποῖον δὲ πῦρ;
Ἔκαε; ποῖον τῆδ' ἄκος;
Ὁ πυρίδης αὐτῇ σῶμα τὸ πρῶτον φλέγω,
Καὶ ξηρὰ καῖεν ὀστέα.
Ὡς μὲν ἀνέτη, δυσχεῖρ αὐλὸς δ' ἔβη
Εἰς δυσχύτους δόμους.
Τόπι πῦρ ἀνέζεν, ᾧ νέκυες ἐμόλον φλέγειν,
Ἐσ' ἐυσεβείᾳ δυσσεβῆς.
Τὸ γῆρας ἄπυρον, φασὶν ὑ μοῖραν χθ',
Τότ' γὸ ἰσὶν ἔμπυρον.

Εἴτις ἐσὶν ἀνέρων
Νόσων ἄπαθος, πρεσβέας μὴ ἴδοι.
Καὶ νόμοι γὸ ἔθηκε
Κέλευσι τῶτο, ᾧ φύσις μέλεσα.
Ἀλλὰ μὴ Κρονίδην τό γε.
Τὸ μὲ θανεῖν, θεῶν τόγ' ἀ γὸ ἀνθρώπων.
Ἦλθεν ὁ πυρίδιππος,
Καὶ λύσε τιμὴν, ᾧ Ἡμιαλέα ὕπν.

Οὐδενῶτι, τρὶς σολυμῆτι,
Οὐ μ' πάντως ἄλιον πλάγδης,
Πόλλα γὸ εἶδες, πόλλα τ' εἶδες.
Ὅτι δ' ὁς πατρίδα γαῖαν ἵκανες,
Ἰκέλος ἦες κήρυκι θεῷ.
Αὐτὰρ τέκνους ὧν, ᾧ υἱὸς δάρες.
Ὀξὺς πυρετὸς γὸ πελάσσεν
Ἐλθὼν κεῖνον, αἶψ' δ' ἐπὶ πύργου.
Ἀλλὰ τί ζωνὴν ἐπὶ πανγύρι,
Ναὶμεν ὄξω, εἰ φλέγον ἐν δόμοις;

Jo. Reinoldus Nov. Coll. Soc. Iur.

Mortis, et exemplum vitæ admirabile cuius
Vita suas laudes, Mors habet ipsa suas.
Quæ pietas maior diuinis cultibus, omnis
Integra quam vitæ sæcla dedisse? dedit.
Quid magis est rarum quam singula nosse? nouit.
Præstantem q; omni laude fuisse? fuit.
Quæ maior laus quam terra q; poliq; meatus,
Atq; iter in pelago scire? sciebat iter.
Pectore sedato quænam patientia maior
Horrida quam mortis fata tulisse? tulit.
Ede, virtutis, (si possis) ede, fuit ne
Vita colenda magis, mors ue dolenda magis?

Cuius erat minimo virtus tam maxima membro,
In toto virtus corpore quanta fuit?
Omnia nam potuit linguarum Idiomata lingua
Itala *siue, loqui, siue* Latina, *loqui.*
Calluit Hispanum *sermonem, q; ore rotundo*
Exhibuit Graio *verba* Pelasga *sono.*
Gallica *non illum latuere Idiomata, quæq;*
Sacra Palestinis, *edita lingua uiris.*
Vnam Orpheus *nouit linguam, linguâ q; mouebat*
Vnâ pro cara coniuge, fata trua.
Proh dolor exclamare libet, quod lingua mouere
Non poterat tetricas tam numerosa deas.

Vatibus hic mos est sibi centum optare linguas
Fabula sublimi si sit hianda pede.
Verè optem centum mihi de te dicere, linguas,
Nam centum linguis, lingua loquenda tuæ est.

Præpropera non rapta eras a morte, senectâ
Cessit naturæ, languida vita, suâ.

Ipſam iniuſtitiæ naturam poſtulo, quod te
Auſa fuit talem vel violaſſe virum.
Nam legandus eras: naturæ legibus ipſis
Qui legandus erat, non violandus erat.
Non violandus erat naturæ ſi modò iure;
Jure hic naturæ cur periturus erat?

Quod dea iuſta fuit, noſtras *Aſtræa* reliquit
Terras de ſuperis, vltima diva, deis.
Te *VVarcoppe* fuit non alter amantior æqui:
Ipſe tamen primo ſurripiendus obis.
Quid ſibi fata volunt naturam inuertere rerum;
Vt ſic, quę caderent vltima, prima cadant?
Iuſtitia vt quondam, poſtremi ſic quoq; iuſti
Debuerant terras deſeruiſſe viri.

Dum tibi vita fuit, ſacro fuit ignea *Zelo*
Et penitùs flagrans relligione pia.
Hos alijs, *Febris* compeſcuit ignibus ignes
Vrens ardenti languida membra lue.
Tempora noluerant fieri te *martyra*, ſed te
Martyra fecerunt impia fata pium.

Eſt aliquid de tot populorum millibus, vnum
Te præceptorem Beza *vocaſſe ſuum*
Vltima non laus hæc laudum VVarcoppe tuarum
Vita quod à tanto eſt erudienda viro
Qui teneris annis magnum inſtituebat Achillem
Phœnix *in ſolo nomine dictus erat.*
Ambo hi Phœnices *in re non nomine*, Phœnix
Qui docuit, Phœnix *quiq; docendus, erat*

In peregrinationem eius.

Quamvis externas peragrares corpore terras,
Mens fuerat patriæ tota dicata tuæ.
O quoties precibus, pretio *Iesuita* miniſq;
Inſtabat *Latium* te coluiſſe deum!
Sed neq; vel precibus pretio *Iesuita* miniſq;
Jnduxit *Latium* te coluiſſe deum.
Præpoſuiſſe *Deæ* patriam memoratur *Vlyſſes*,
Præpoſuit *Latio* hic rura paterna *Deo*.

Hæ quas exhibui tibi querelas,
Et triſtes lacrymæ pijq; luctus
Parentant tumulo tuo Rodolphe:
Lamentans Niobe *rogos ſuorum*
Facta eſt flebile marmor, ipſa mater,
Et ſibi tumulus ſuiſq; natis.
Quod ſi dij ſuperi parcs fauore
Has in marmora verterent querelas,
Eſſent marmoreum tibi ſepulcrum.
Sed quod cælicolum fauore, planctus
Non poſſunt fieri tuum ſepulcrum,
At debent fieri tuum in ſepulcrum.

FRAN: CAPPE Nov. Coll. Soc. Iur.

DAnt alij lacrymas tumulo, fletuſq; cientes
Felicem miſeris donant vlulatibus vmbram,
Et quatiunt tenues ingratis planctibus auras,
Singultu medias interrumpente querelas:
At nos haud lacrymis auidos ſaturare dolores
Nitimur aut charam fletu humectare fauillam:

Ea-

En tibi non paruo perituros tempore versus;
En tibi quæ celebrent defuncti carmina laudes?
Quid lacrymæ? miseros ornant; quid carmina? famam
Fælici tribuunt viuo, vitamq; sepulto.

Quod tot tam sacros duxti feliciter annos,
Hoc munus patriæ Dij tribuere tuæ:
Quod tandem patriæ malè gratâ morte quieſcis,
Hoc munus soli Dij tribuere tibi:
Quam bene curarunt cælestia numina vt olim
Vixisti patriæ, sic morereris tibi!

Postquam lustra illi fuerant bis sena peracta,
Vidit diſectas ocyor hora colos;
Occidit, exustas febri torrente medullas,
Quæ vitam absorpsit, flammea febris erat.
Ignibus absumta est pars haec mortalis, at illa
Scandit in æthereas nan moritura domus.
Sic magni Alcidis *consumpto corpore flammis,*
Fertur in æthereum *spiritus ipse polum.*

Quo primum natus conspexit tempore solem,
Dij nobis faciles munera quanta dabant!
Munera magna quidem, sed non diuturna volebant,
Clausit vitales mors properata vias.
O faciles nobis dando optima quæq; tuendo
Cur non et faciles munera vestra Dij?

Si varijs animi sensus exponere linguis
Laus est magna, illum gloria quanta manet?
Itala, Græca, Latina, Hispanica, Gallica, *Sacra,*
Lingua illi facilis, nulla aliena fuit.

Sermones varios variis virtutibus ornans,
Orbe sibi quenquam nolunt esse parem:
Cuncta loqui ornatè simul & facere omnia honestè
Hoc solum est, superat quod bona cuncta, bonum.

FRANC. SOVCA Nov. Coll. Soc. Iur.

ESt aliquid doctas vivum coluisse sorores
Te quoq; (quod possint) post tua fata colunt.
Cumq; tuum nequeant morti eripuisse cadaver
Eripiunt famam, Magne *Rodolphe* tuam.
Sic modo qui tantum hic fueras, nunc vnus vbiq; es:
Cælo anima est, mundo fama, cadaver humo.

Gratuler an doleam? doleoq; & gratulor vnà
Vnus ad exequias (vmbra beata) tuas.
Gratulor en vbi te spectо sedemq; beatam;
Ast vbi respicio nos Patriamq; queror
Sic diversa mihi suadent diuersa, *Rodolphe*,
Lætitiam cælum, mœstitiamq; solum.

Et tamen heu perijt! quid enim doctrina, quid artes,
Quid mores, lingua quid valuere decem?
Cuncta habuit possent quæ vitam ornare, sed heu
Quod posset mortem sistere, nil habuit.

Mortuus æternùm Warcoppius *ad æthera fugit*
Æternum terras deseruit q; suas.
Quid mirum? cunctas peregrauerat antea terras
Cælum quod post hac intueatur, habet.

Magnum est ornasi cunctis virtutibus vnum
Et præstare alijs (præstitit ille) viris.

Mag-

Magnum etiam cunctis excellere in artibus vnum
Et præstare aliys (præstitit ille) viris.
Magnum est tot linguas hominum didicisse, tot vrbes
Vidisse & mores (viderat ille) decus.
Magnum inter medias Mariano *tempore flammas*
Præstare illæsam (præstitit ille) fidem.
Regi principibus, populoq; placere probari
Magnum est, hic tamen hæc omnia solus habet.
Quæ cum non paruas mereantur singula laudes,
Quem simul ornarunt omnia, quantus eras?
Tantus eras vt non caperet te mundus, vt inde
Prouidæ eriperent Numina, tantus eras.

Debuit aut *Gallum* petere, aut legatus *Iberum*,
Cum subitò raperet summus in Astra pater.
Scilicet huic, terras iuvenis qui viderat omnes,
Sidera erant festo hunc adeunda seni.

Vixit sex denos tantum modo mortuus annos:
Fata heu quàm magnis invidiosa viris.
Si foret æqualis virtuti vita *Rodolphi*,
Plusquam *Nestoreos* vixeret ille dies.

HVGO ROBINSON Nov. Coll. Soc.

TVm tibi debuerant nostræ inservire *Camenæ*,
Cum poteras laudis participare tuæ.
Post te victuræ quam possunt tradere chartæ,
Post cineres veniens gloria sera venit.
Ne tamen in cineres tecum tua fata putrescant,
Hæc facient bustis te superesse tuis.

Lege

Legati, cautus, dum regia munia vitat,
En maiestatem non sine honore cavet.
Hunc laudis quantum credas meruisse gerendo,
Munera, qui tantum diffugiendo capit?

Alcides postquam superasset monstra per orbem
Et patriam factis nobilitasset humum.
Ardenti exutus mortalia viscera in *Oeta*,
Debita virtuti possidet astra piæ.
Sic post acta tuæ fœlicia tempora vitæ,
Et tot pro patriâ tam bene gesta tuâ;
Febricitans fœvos aperis *VVarcoppe* per ignes
Ascensum ad superos, nobilis vmbra polos.

Comprimit igniti dum te violentia morbi,
Intentatq; suas mors truculenta faces;
En nulli gemitus, suspiria nulla peruntur,
En nulli immitis signa doloris erant.
Scilicet immites fuit hoc superasse sorores,
Et mortem in regno debilitasse suo.

Viseret vt vidua & solaretur avita,
Non timuit vita prodigus esse sua.
Hunc illi quantum, fœva discrimina mortis
Factarum credas, si subeunda forent?

SAM: FRIERS Nov. Coll. Soc.

QVam tibi mutandis vox ingeniosa loquelis!
Græca locuturus nomina, *Græcus* eras:
Te *Latium* vt scirem, *Latius* tibi sermo fluebat,
Verba relaturus *Gallica*, *Gallus* eras.

Cuis

Quis non *Hiſpanis* genitum te crederet oris,
Cum retulit vocem, flumen *Ibere*, tuam?
Itala gens voluit, mox te *Germana* volebat,
Sæpe peregrinus, ſemper at *Anglus* eras:
Vox non vna fuit, ſed vox tamen vna ſonabat;
Idem tu fueras, vox eademq; fuit.

Quo te deplorem titulo? te nomine quali?
Docte, diſerte, iaces, iuſte, benigne iaces.
Vnus habes titulos multos, et nomina multa,
Jngenioſe iaces, religioſe iaces.

An peteres Gallos, *peteres legatus* Jberos,
Conſtitit arbitrio munus vtrumq; tuo;
Sed neq; tu Gallos *peteres, neq; miſſus* Jberos,
Concidit arbitrio munus vtrumq; tuo:
Nam tu nolebas, quod Rex Warcoppe, *volebat;*
Velle ſed ad mortes nil tibi nolle tuum eſt.

Cum tu morte cadis. cur nos hac veſcimur aura?
Aut nobis mors, aut debita vita tibi eſt.

Non tibi ſunt Equitis tituliq; et nomina magni.
Cætera ſed quis te non habuiſſe putet?
Jngenium, mores, pietas, facundia, virtus,
Conſilium, robur, iudiciumq; fuit.
Non *Eques* vt melius poſſes *Eques* eſſe merendo,
Non extra titulus, ſed tamen intus erat.

Si iuvenimores fuerant Warcoppe *ſeniles,*
Non te bis puerum, bis reor eſſe ſenem.

Orator pro Rege foris, *VVarcope*, fuiſſes,
Eſſes ni pro te tu prior ipſe domi.

Ante diem peteres (quamvis Rex iusserat ipse)
Si *Gallos* peteres funeris ante diem.

Si brevis ingenuis ætas & rara senectus,
(Nam Lachesis quæ sunt optima primavapit)
Te Warcoppe *senem non deploremus ademptum,*
Miremur fieri te potuisse senem.

THO. GRENT Nov. Coll. Soc.

Ad defunctum VVarcoppum.

SI pia commemoret tam culti pectoris acta,
Parce precor *Musa*, (Nobilis vmbra,) meæ:
Exigit hoc tanto virtus miranda decore,
Et vitæ pietas intemerata tuæ.
Quid? quod non vires habeat, nec digna putetur
Tot laudes numeris inseruisse suis?
Tantùm *VVarcoppi* partem superesse sepulti
Si dicat, vestræ pars ea laudis erit:
Si te defunctum laudans, non digna recenset,
At dignas laudes te meruisse docet.
Qualiscunq; tuum dum nomen Musa renarrat,
Non potes in mœstos totus abire rogos.

Fortè alijs aliquid debent tua funera Musij.
Debet funeribus nostra *Thalia* tuis.
Nam tibi defuncto non dant mea carmina, verùm
Vitam carminibus dant tua fata meis.

Cum

Cum iuvenes inter iuvenis, Warcoppe *fuisti*,
Laudabat mores, ille, vel ille, tuos.
Sed postquam fueras paucis maturior annis,
Præpositus populi moribus unus eras.
Cum iam longævum premeret te serior ætas,
Legandus patriæ iudice, solus eras:
O te vnum superis gratum, vereq. beatum,
Omni qui vitæ tempore, tantus eras.

Si quis relliquijs Warcoppi *imponat honores,*
Talis non aliqua labe notandus erit:
Relliquiæ istius nam sunt non ossa, sed vna
Virtus innumeris concomitata bonis.

Sanguine qui gaudet, *VVarcoppi* nomina iactet;
Qui fuit à priscis nobilitatus avis.
Qui Musas laudat, *VVarcoppi* prædicet artes;
Qui didicit varijs edere verba modis.
Qui spectat gazas, *VVarcoppi* munera narret;
Qui sic assiduo munere largus erat.
Hæc sunt *VVarcoppi* monumenta videnda sepulti,
Hæc permansuræ præmia laudis habent.

ISRAEL BRIMELDVS Nov. Coll.

QVem dolet, & cunctis defendit iure dolendum
Plurima turba domi, plurima turba foris.
Quot terras (proh summe Deus!) quot inhospita transit
Æquora non facili transilienda gradu!
Plura quidem quam sunt alijs vel ab aure recepta,
Sustinuit celeri præterijsse pede.

Quodq; peragrando laudabile vidit in orbe,
Mens eius mira sedulitate capit.
Hinc fit *VVarcoppum* verè μικρόκοσμον, & omni
Verè perfect m parte fuisse virum.

In legationes quas repudiavit,

Optandum Princeps *tibi, nunquid regna videres*
Gallica *legatus, nunquid* libera *dedit.*
Gratum opus hoc alijs: at te neq; regna videre
Gallica *legatum, te nec* libera, *iuvat.*
Vnica cura tibi fuit immigrare supremi
Regna Dei, votis sola petita tuis.

RICH. ADDAMS Nov. Coll.

AEgrotare Salus poteras *VVarcoppe*, tuorum?
Et Patriæ fueras qui prope vita, mori?
Esto: tamen viuus dederas qui Gaudia Musis,
Mortuus his nunquam non potes esse dolor.

In morbum eius. Febrem, torridam.

Quæ tibi torrebat moribundo viscera febris,
Dicitur esse tuæ causa, *Rodolphe*, necis.
In te fatalem quis non dubitaverat æstum?
Tam fuerat *zeli* fervida flamma tui.

Tam bene ne meritò bustum tibi forte deesset,
VVarcoppe, in morbo, mors dedit ipsa pyram.

In eundem morbum bis relapsus est visendo binas viduas.

In veterem viduas visendo relabere morbum,
Sincerae peragis dum pietatis opus.
At nisi per mortem melior tibi vita daretur,
Vnde tibi mortem tam bona causa daret?

In Legationis honorem ei à Regiâ Maiestate *oblatum, ab eo vero repudiatum.*

Qui poterat *Gallos* nuper *Legatus* adisse,
Vel regna *Hesperijs* quae feriuntur aquis;
Omnia postposuit musis Patriaeq; *Rodolphus*,
Vnde recusatus sit geminatus honor.
Pulchra etenim res est aliorum edisceere linguas,
Vnum cor Patriae sed retinere suae.

Jn varias Linguas quas calluit.

Te potuit Grœcus *populares*, *aut accola* Rheni;
Aut quis ab Hebraea stirpe, putasse suum.
Germanus *potuit*, Gallusq; *& dives* Iberus,
Si modo sit lingua fas adhibere fidem.
Hinc tibi cum paucis laus haec communis habetur
Linguarum varios edidicisse modos.
Sed magus hoc mirum est, omni quod fraude vacârit
Tam varios callens lingua referre sonos.

Quid meruere fides, pietas, prudentia, virtus
VVarcoppe, vt Patriâ iam rapiare tuâ?
Quid meruêre? Polum. nam summa ad Sidera raptum
Nunc à consilijs te reor esse *Iovi.*

Hoccine virtuti tribuis mors improba munus?
Hi *Zeli* fructus? hic pietatis honor?
Sæpe cibo miseros qui sustentavit egenos,
Nunc datur in tumulo, vermibus ipse cibus.

Tam bene iustitiæ te functum munere *Minos*
VVarcoppe, ad *Stygias* ire iubebat aquas?
Immo ego *Tartareum* potius *Minoë* putarim
Cessurum solio Te veniente, suo.

Dicite quærenti crudelia numina, Parcæ
Warcoppum *ad* Stygias *cur* pepulistis *aquas*?
Bis sex longinqui quia lustra peregerat ævi,
Hunc tulit ætatis mors ratione suæ?
At virtute suâ meruit sibi longius ævum:
Nestoreos *meruit* (Nestor *& ipse*) *dies*.
Quis negat hoc? quod si mors non nisi digna Rodolpho
Vlla futura fuit, nulla futura fuit.

Jo. Harris Nov. Coll.

W*Arcoppus* vitam dederit nisi charta, peribit?
Cumqs suo tanti corpore fama viri?
Ingratus populus, patriæ immemor, omnia vere
Impia, quæ tanti non meminere viri!
Debuit æternus patriæ qui viuere, nunquid
Tam citó post mortem debuit ille mori?

Non pete, legati quod munia sprevit honorem
Multum, sit quamuis hic quoq; multus honor

Publica

Publica iuſtitiæ nec quòd data munia cepit:
Par his è populo quilibet eſſe poteſt
Sed Deus eſt quòd tam benè ſingula geſſit; honorem
Qui non vis Homini reddere, redde Deo.

THO. VVOODS Nov. Coll.

INgenium *VVarcoppe* tuũ quæ lingua latebat?
Aut quæ vox penitùs non tibi nota fuit?
Hebræam linguam quiſquis perceperit, ille
Doctus erit, quamvis *Græcia* docta neget.
Et *Græcam* linguam quiſquis perceperit, ille
Doctus erit quamvis *Roma* negare velit.
Romanam linguam quiſquis perceperit, ille
Doctus erit quamvis *Anglia* noſtra neget.
Hebræam, Græcam, Romanam, ſolus habebat
VVarcoppus: ſed nec laus ea ſola fuit.
Noverat is dubij quâ *Galli* voce loquuntur;
Quis fuit *Hiſpanis* noverat ille, ſonus.
Durum, quod linguam mors non intelligat vllã,
Non oculis tantùm mors eget atra ſuis.

Ferveſcens febris totos invaſerat artus,
Et tota immenſus corpore fervor erat.
Qui benè compoſitus veluti rogus arſerat, vndè
Solvuntur ſummo debita ſacra Deo.
Et rogus illud erat; teneram, cor, credimus agnã
Quæ quia tam patiens, agna vocetur, erat,
Tam morbum inſtantem patienter pertulit, ac ſi
Eſſet ſpectator funeris alterius.

Opta-

Optatiq; diu cœli correptus amore,
Vix corpus partem credidit esse sui.
Hoc amittendo, nil se amisisse putabat,
Sic animâ fuerant cuncta reposta suâ.
An nil perdiderat tua patria (maxime) quod te
Perdiderit, cuius pars bona nuper eras?
Hoc monstrat dolor & lachrymarum plurimus imber:
Tanta re quisquam dissimulare potest?

Legatum *voluit te* Rex *misisse* Iacobus,
Ingenium callens eloquiumq; tuum.
Quamq; magis velles de terris ipse duabus
Visere concessit, *si tibi velle fuit.*
Gallia *proposita est*, *nec non* Hispania: *sed non*
Respondit votis illa vel illa tuis.
Vtraq; dives erat tellus, sed neutra placebat;
Cernimus ô tandem quæ tibi terra placet?

Magnus erat fervor natus de febre, sed ardor,
Sacro Warcoppi *pectore maior erat.*
Nam pia quæ sacro conflagrat flamma vapore
Pectora sanctorum religiosa virûm;
Qui calor accendit mentes, ad vota, bonorum,
Adq; pium veræ religionis opus:
Ille tuam Warcoppe *animam inflammare solebat,*
Ille tui vexè pectoris ignis erat.
Cui mens ferventi flagraverat ignea Zelo,
Si dubites sursum tendere, mente cares.

BEN. STONE Nov. Coll.

Encomion VVarcoppi.

Ad VVarcoppum.

POscebant patria & Princeps legatus vt esses.
Tu latitare tibi dulcius esse putas.
Hinc in vestra tamen surgunt præconia, tales
Quos spargit de te publica fama, soni.
Non est Legatus qui tanta negotia Regni,
VVarcoppo melius sustinuisse potest.

In eundem viduas visentem, & inde in
febrem relabentem.

Ossibus excussa est dum nondum febris, amicas
Visisti infirmas: hoc pietatis opus.
At te dum perdis visendo, inteq; tuos q;
Crudelis fueras: hoc feritatis erat.
Patria, feciſſes aliter, cupit, illius ergô
Debueras vitæ consuluisse tuæ.

GEOR. HVSEY Nov. Coll. Soc.

MVsa mihi, (si *musa* mihi est,) infunde querelas,
Totus ero lacrymæ, funera totus ero.
Imparibus lugere modis hunc conor in istis,
Cui vix inveniam nobilitate parem.
VVarcoppus perijt: *VVarcoppi* nomine dicto,
Nonne ego thesauros interijsse queror?
Hunc *Mæcenatem* scelus est, mihi crede, silere,
Tam bene qui vario noverat ore loqui:
Huius vt exequias, vt funera persequar huius,
Iam mihi musa tuæ suppeditentur opes.

Corporis atq; animi muſis, dum floruit ille,
Non ceſſaturas ſuppediravit opes.
An vitam memorem *VVarcoppi*? plurima vaſtis
Facta voluminibus quæ memorentur, habet.
Vt varios populos, varias vt viſerit vrbes,
Dicere pars vitæ dimidiata poteſt.
Scilicet in terris peregrini munere functus,
Aſtra ſibi patriam credidit, aſtra colit.
Lectus ad *Hiſpanas* non iuit nuncius oras,
Dignior ad ſummum nuncius ire Deum.
At nemo, totidem qui nixus dotibus, illud
Munus honoratum poſſet obire, fuit.
Namq; die hebdomadæ ſi quovis verba referret,
Se poterat quovis vox variare die.
Atq; artes ſeptem (nam ſeptem calluit artes)
Septeno poterat concelebrare ſono.
Invida mors nimium quæ ſeptem ſuſtulit vno,
Tot coacervatas quæ laceravit opes.
Hæc tamen, (occurrant cum cætera) munera, non tam
Rapta queror, quamvis hæc quoq; raptà queror.
Qui cecidit, patriæ ſplendor generoſus, aſylum
Pauperibus, doctis portus & vmbra fuit.
Portus & vmbra fuit dum vixerat, vmbra ſed eheu
Nunc tantum eſt, doctis qui fuit vmbra prius.

Quòd medio pereas Warcoppe *ſolutus in igne,*
Febre quòd exuſtus, numinis iſtud opus.
Cæleſtes ſurſum vis ignea fertur ad ignes,
Atq; elementares gaudet adire plagas.
Numen, vt æthereos melius vehereris ad ignes,
Febrem, qua poſſes igneus eſſe, dedit.

Hæc

Hæccine febris erat? sic febricitavit Elias,
Cum foret igniti raptus ad astra rotis.

Non febris *VVarcoppe* tua omni ex parte dolenda
Extitit, atqui aliquis morbo fuit vsus in illo.
Nam cruciante parat si *Martyr* nomen ab igne;
Ignea *Martyrij*, tribuit tibi febris, honorem.

Augusti prima *VVarcoppus* luce recessit,
Qua capiunt fruges horrea quæq; suas,
Nempe ita maturus tantis virtutibus ille
Visus erat summo messis opima Deo.

Quid loquar insignes Warcoppi, (*vt cætera desint,*)
Delicias horti, delicias q; domus?
Musarum *invidia, locatam fælicia digna,*
Qui tenuit, musas ni tenuisset, erant.
Quem talis vivum terris paradisus habebat,
Non melior cælis hunc paradisus habet?

CAROLVS HOSKINS Nov. Coll.

PRimus ego, supremus ego, mors vna *Rodolphi*,
Principium & nostri meta laboris erit.
Solus is est à quo, solus mihi terminus ad quem,
Solus is est per quem mota Thalia, movet.

Ad VVarcoppum de libro quem de peregrinorum moribus conscripsit, & tantùm non typis mandauit.

Vnum scripsisti secreta per otia librum,
De peregrinorum moribus atq; locis.
Sed peregrinorum qui mores tractat et vrbes,
Dic mihi cur nobis tam peregrinus abest?

Fama mihi narrat (sed vix ego credulus illi)
Te permansurum composuisse librum.
Cura fuit iuueni terras adisse remotas,
Resq; nouas verbis edidicisse nouis.
Cura seni fuerat pendentes claudere lites
Et bene ciuili consuluisse bono.
Atria nunc *Procerum*, nunc principis *Aula* vocabat
Nunc fora iuridicum te voluere suum.
Liber ab imposita cum nunquam mole vacaris,
Dic mihi quî fiat, fiat vt iste liber?

Quid facitis Socij? *Vulcano* tradite librum,
Nil opus est vestram suppeditetis opem.
Vnicus ille liber *VVarcoppo* scriptus, avaris
Warcoppum flammis eripuisse potest.

Ad eundem quòd mundum contemptui habuit.

Hostis vbi insequitur *Parthus* dat terga sequenti,
Spicula sed cautus post data terga iacit.
Sic vincit Parthus tanquam qui vincere nollet,
Contingitq; ipsa plurima palma fuga.
Sic tu pugnabas, sic tu (*VVarcoppe*) timendus,
Sic tibi perdomitus sub iuga mundus erat.

Quanta

Quanta voluptates fuerat fugisse voluptas?
Quod decus est partum vel fugiendo decus?
Fugisti, vulgus quos admiratur, honores,
Fugisti, vulgus quas veneratur, opes.
Limina Nobilium summiq; palatia Regis,
Tecta q; imaginibus conspicienda suis.
Fugisti celebres vrbes populiq; capaces,
Malueras patrijs consenüisse iugis.
Verba leues q; iocos, scenas, spectacula, ludos,
Fugisti toto quicquid in orbe placet.
Deniq; vita tibi, vitam fugiendo, reperta est,
Nunc tibi quod fugias nil superesse potest.
Summe Deus concede mihi sic vincere mundum,
Mundus is est hostis, quem fuga sola fuget.

Epitaphium æternæ VVarcoppi memoriæ consecratum.

Hac requiescis humo titulo memorabilis ipso,
Clarus ab *Armigeris Armiger* ortus avis.
Septem vnus linguis præstans, septem artibus vnus,
Caussidicus, iudex, arbiter, vnus eras.
Principis et patriæ communi voce creatus,
Publica narrabas vota, disertus *Eques*.
Fælix *Hispanos* potuisses *Angelus* isse,
Sed malles *Patriæ* dexter adesse *Deus*.
Non potes *Hispanis*, quod es *Angelus*, *Angelus* esse,
Quod *Deus* es, *Patriæ* non potes esse *Deus*.

Conclusio.

At q; ita de pelago guttam deprompsimus vnam,
Exiguam Soli pratulimus q; facem.

Qui de Warcoppo *maiora volumina ſcribis,*
Grande licet ſapias nil niſi inane ſapis.
De magnis vis parva cani? res iſta peracta eſt,
Omnia vis factis facta referre modis?
At membrana tibi peritura eſt tota priuſquam,
Materia hauriri dimidiata queat.

Patriæ dolore publico,
VVarcoppus extinctus iaces.
Sin longiùs vitam trahat
Mortalis aura ſpiritus:
Te ſerus expectet rogus.
Cum vita, quod ſatis eſt, habet,
Tum fama, quod ſupereſt, petit.

Conarer VVarcoppi *omnes percurrere laudes,*
Si tam lata mihi, quam via lata, foret.

Si tibi nulla daret niſi quæ te digna, Rodolphe
Quàm mea Mula *tibi carmina nulla daret?*

Scripſimus: at nobis laudum *(VVarcoppe)* tuarum
Vix exhauriri gutta minuta poteſt.
Sed quia nunc tempus ſcriptis imponere finem,
Omnia ſic vna carmina claudo prece.
Det Deus vt veſtro creſcat mihi carmen honore,
Vtq; tuus noſtro carmine creſcat honor.

GVLIEL. KINGESMILLVS Nov. Coll. Soc.

FINIS.